



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **OMNES FERE SANCTUS MARTINUS DUMENSIS EPISCOPUS,**
ARCHIDIOECESIS BRACARENSIS PATRONUS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Omnes fere locorum Ecclesiae quosdam Sanctos peculiari colunt veneratione, sive quod ab iis ad fidem genitae sunt, sive quod auctae, firmatae, illustratae, sive denique quod pluries et multimodis eorum auxilium expertae, iure se sentiunt in eorundem esse tutela. Non aliam ob causam clerus et populus christianus archidioecesis Bracarensis, sacram a maioribus erga Sanctum Martinum Dumensem episcopum traditam pietatem et quasi singularem acceptam hereditatem, fervida constantia servant. Salutaribus huius religionis consideratis fructibus, Venerabilis Frater Henricus Dias Nogueira, Archiepiscopus Bracarensis, voluntatem fidelium curae sua commissorum interpretans, electionem Sancti Martini Dumensis episcopi in Patronum apud Deum eius archidioecesis, quam niper diximus, auctoritate sua rite approbavit. Volens autem hoc actum Apostolica potestate muniri, enixe postulavit ut electionem illam et approbationem secundum normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque officiorum et Missarum propriis recognoscendis», n. 30, confirmaremus. Nos igitur, ex sententia Sacrae Congregationis pro Cultu Divino exaudita petitione, cum constet electionem et approbationem pro iuris praescripto esse peractas, suprema Nostra Apostolica auctoritate Sanctum Martinum Dumensem episcopum archidioecesis Bracarensis Patronum apud Deum confirmamus, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis secundum rubricas consequentibus; fidentes ex aucto Patroni sui honore fideles occasionem capturos, ut in religione et in morum disciplina proficient. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno Domini MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo.* CAROLUS Card. CONFALONIERI, S. Collegii Decanus © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana
